

TABLA.

attendentes huiusmodi connubia inter infideles contracta, vera quidem, non tamen a deo rata censerent, ut necessitate suadente dissolui non possint, talium gentium infirmitatem paterna pietate miserati, vniuersis, & singulis dictorum locorum Ordinariis, & Parochis, & Presbyteris Societatis Iesu ad confessiones audiendas ab eisdem Societatis Superioribus approbatis, & ad dictas Regiones pro tempore missis, vel in illis admissis, plenam auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus facultatem dispensandi cum quibuscumque, vtriusque, sexus Christi fidelibus incolis dictarum Regionum, & seruis ad fidem conuersis, qui ante baptismum susceptum Matrimonium contraxerant, ut eorum quilibet etiam superstiti coniuge infideli, & eius consensu minimè requisito, aut responso non expectato, Matrimonia cum quouis fidei, aliàs tamen ritè contrahere, & in facie Ecclesie solemnizare, & in eis postea carnali copula consumatis, quo ad vixerint remanere, licite valeant, dummodo constet etiam summarie, & extra iudicialiter, coniugem [ut præfertur] absentem moneri legitimè non posse, aut monitum intra tē-